
Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°




Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°


Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°



Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

64,-1

DA BOX

LN 1245
M

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

REGVLÆ QVÆDAM VTILES AC NECESSARIÆ, CONCIONATORIBUS *obſeruandæ, conſcriptæ*

A

NICOLAO PALLADIO.

HAFNIÆ,
Excudebat Laurentius Benedictus.

M. D. LXX.

Cum Gratia & Priuilegio Regiæ Maieſtatis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

PETRVS PALLADIVS

Pio lectori.

MIhi videtur conſultum, vt hæ regulæ libello præpoſiturali, vel in vna compactura, propter materiæ conuenientiam coniungantur, vt ſimul ipſis Parochis proponantur, & vnuſquilibet ſe, hic talem præſtet, qualem oporteat eſſe fidelem miniſtrum verbi cooperatorem Chriſti & diſpenſatorem myſteriorum Dei. 1.Cor.4.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

REGVLÆ QVÆ- DAM CONCIONATORI- bus obſeruandæ, conſcriptæ A Nicolao Palladio.

PRIMA REGVLA.

VNVMQVEMLIbet verbi miniſtrum, de tribus præcipue certum eſſe oportet, videlicet de ſui vocatione, Doctrina & vita.

Vocatio ſit iuſta & diuina per media licita & legitima, nempe per Eccleſiam, Magiſtratum, & eos qui ad hoc ordinati ſunt vt alios vocent. Qui hoc modo vocantur, efficiuntur organa Eccleſiæ ſalutaria: Intruſores autem fiunt animalia ventris, blaſphæmi, ſeductores, mercenarij, lupi rapaces, fures & latrones &c. De quibus vide, Hie. 23. Ioan. 10. Acto. 20. Gala. 1. I.

Doctrina ſit diuina, cœleſtis, vera, pura, & aliena à phanaticis opinionibus, impijs dogmatibus, traditio- II.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

nibus humanis, mendacijs & abſq; veteri, id eſt, Papiſtico fermento. Id
Hiere. 23. enim ipſe Deus per Hieremiam præcipit: Si quis, inquit, habet verbum meum, prædicet verbũ meum recte.
1. *Petri* 4. Idem diuus Petrus mandat: Si quis loquitur, loquatur quaſi ſermones
1. *Corint.* 11. & 15. dei &c. Et Paulus ait, quod à Domino accepi, tradidi vobis, &c.

III. Vita reſpondeat doctrinæ, ne
1. *Corint.* 9. cum alijs prædicauerit miniſter ver-
1. *Timot.* 3. bi, ipſemet reprobus inueniatur, Et
2. *Corin.* 6. ne incidat in laqueum calumniatoris, & infirmos ſcandalizet. Nemini (inquit Apoſtolus) vnquam ſimus ſcandalo, ne noſtrum officium contemnatur, ſed in omnibus exhibeamus nos tanquam miniſtros Dei. Turpe enim eſt doctori cum culpa redarguit ipſum: Quicunq; enim bene docet, & male viuit, is mala vita plus deſtruit, quam doctrina ædificat. Sit ergo Eccleſiæ paſtor in omnibus honeſtis actionibus exemplar gregis, forma bonorum operum, ſpecu-
Rom. 1. lum aliorum, & præſtet opera confeſsionis, vocationis, & dilectionis, Et cauebit ſummo ſtudio, ne Eccle-

ſiam

ſiam offendiculo aliquo polluat. Et ne inſigne aliquod vitium, vel criminis, turpitudinis aut flagitĳ alicuius veſtigiũ in eo appareat, ne luxu aut compotationibus, aut obſcœnitate, aut ſpurcitia verborum, aut leuitate, aut alĳs modis ſe reddat contemptibilem, ſuamq; authoritatem eleuet ac diminuat.

SECVNDA REGVLA.

Perſiſtat miniſter verbi, in ſa- *Pſalm. 1.*
crarum literarum aſſidua meditatio-
ne & exercitio, Et per omnem vitã
diligentiſsime ſtudeat in volumine
cœleſtis doctrinæ, vt aptus ad docẽ-
dum & prædicandum fiat, & contra-
dicentes conuincat. Sic Paulus Ti- *2. Timo. 3.*
motheo præcipit inquiens: Tu vero
permane in his quæ didiciſti & cre-
dita ſunt tibi, ſciẽs à quo didiceris, &
quia ab infantia ſacras literas noſti,
quæ te ad ſalutem inſtruere poſſunt.
Scrutamini (inquit Chriſtus) ſcrip- *Iohan. 5.*
turas: Omni enim habenti dabitur. *Luc. 19.*

TERTIA REGVLA.

Inuocet aſsidue Deum ardentiſsi-

mis votis, pro illuminatione Spiritus ſancti, & toto ſuo miniſterio, vt fœlix ac ſalutare eſſe poſsit ad gloriam Dei ſempiternam & ſalutem Eccleſiæ, accipiatq; reſponſum à Chriſto Archipaſtore, qui ſuos miniſtros corroborat, his verbis. Nolite cogi-
Matth. 10. tare quid dicatis: Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſi-
Luc. 21. ſtere omnes aduerſarij veſtri. Item, qui vos audit me audit, Non eſtis vos qui loquimini, &c. Hoc modo ipſi Apoſtoli, Acto. 4. orant, vt det illis loqui cum omni fiducia ſermonem.

QVARTA REGVLA.

Poſt ſtudium & inuocationem, aſcendat Doctor Eccleſiæ ſeu miniſter verbi confidenter et forti animo ſuggeſtum, non perhorreſcens multitudinem, potentiam, & ſapientiam auditorum, ſed doceat tanquam au-
Matth. 7. thoritatem habẽs, & cogitet ſe cœle-
2. *Corint.* 5. ſtem legationem obire, ac certo ſibi perſuadeat concionẽ, bonum exordium, progreſſum fœlicem & finem
1. *Theſſ.* 2. optimum habiturum, Et laborem nequaquam fore inanem in domino.

QVIN-

QVINTA REGVLA.

Non dicat pro concione quicquid in buccam venerit, ſed diſcat prudenter ſecare ſermonem veritatis, & prædicet ea, quæ ſunt vtilia, ſalutaria, & neceſſaria, tanquam bonus diſpenſator myſteriorũ Dei, vt ſemper habeat auditores, attentos, dociles, ac beneuolos.

SEXTA REGVLA.

Non obruat auditores multitudine verborũ, ſed prudenter deligat ex magna rerum copia, quæ maximè videntur profutura, quæ methodice ac iuſto ordine, claris ac perſpicuis verbis pronunciet. Verba enim voluere, & celeritate dicendi, apud imperitũ vulgus ſui admirationem facere, indoctorum hominum eſt, inquit Hylarius. Det igitur operam, ne tota concio ſit ſine mente ſonus, ſed vt apposite ſignificãtibus verbis populũ doceat, cõſoletur, & exhortetur.

SEPTIMA REGVLA.

Caueat etiam doctor Eccleſiæ, ne multitudine Locorum communium auditores obruat, ſed pauci tantum

& clariores adducendi ſunt. Nihil enim ædificant qui in publicis concionibus innumerabiles propemodũ ſcripturæ locos producunt, obruunt tantum ita auditores animos, vt finito ſermone quid, dictum ſit, ignorent.

OCTAVA REGVLA.

In vno ſermone non vtendum eſt multis ſimilitudinibus, ſed vna atq; altera ad illuminandum textum. Sunt autem ſimilitudines, imagines rerum.

NONA REGVLA.

Tota concio referatur ad ipſum ſtatum, ſeu principalem propoſitionem, Illam Concionator ſæpe repetet, & auditoribus inculcet, vt ſciant, quid potiſſimum ex tota concione diſcere & expectare debeant.

DECIMA REGVLA.

Obſcurus locus, apertiori eſt exponendus. Scriptura enim ſcripturam interpretatur. Nam neceſſe eſt vt interpretatio ſit analoga fidei, ne

ex hu-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

ex humano ingenio aut proprio cerebro procedat.

VNDECIMA REGVLA.

In volumine ſacrarum literarum multi ſunt loci, qui ſecum in ſpecie pugnare videntur, hos concionator conciliare ſtudeat, vt oratio per omnia congruat. Spiritus ſanctus enim ſcripturæ author non contradicit ſibi ipſi, nec pugnantia loquitur vnquam.

DVODECIMA Regula.

Verba ſunt intelligenda, ſecundum ſubiectum ſeu materiam propoſitam, vt cum Iohannes ait: In Principio erat verbum, hic Verbum ſignificat filium Dei, &c.

DECIMA TERTIA Regula.

Antitheſes probe obſeruandæ, & in quouis textu vſurpandæ ſunt: Valde enim proſunt & plurimas res oſtendunt. Vbicunq; enim fit mentio Chriſti, è contrario occurrit mentio Diaboli.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

DECIMA QVARTA Regula.

Natura etiam correlatiuorum bene notanda: Magnam enim & amplam dicendi materiam ſuppeditant. Relatiua enim mutuo ſeſe definiunt & interpretantur, vt Magiſtratus eſt, qui certo iure ciuitatem regit. Ciuitas eſt quæ certis legibus regitur à magiſtratu. Item, fide ſumus iuſti, transforma in correlatiuum, miſericordia Dei iuſti ſumus.

DECIMA QVINTA Regula.

In omni textu explicando reſpicienda ſunt antecedentia & conſequentia. Sic enim multæ dubiæ obiectiones diſſoluentur.

DECIMA SEXTA Regula.

Diſtinctio maximè conducit, vt in illa ſententia, Fornicatores & adulteri non poſsidebunt regnum Dei, ſcilicet quo ad impœnitentes ſunt. Item, Peccatores Deus non exaudit,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

audit, ſcilicet non agentes pœnitentiam. Quicunq; enim bene diſtinguit, bene docet.

DECIMA SEPTIMA Regula.

Interdum allegorijs vti conceſſum eſt, modo ſint conſentaneæ Scripturæ, Nam ſi pugnet allegoria cum apertis ſcripturis, explodenda eſt, quemadmodum turpiter à recta via deerrauerunt, qui per Aharonem romanum pontificem ſignificari docuerunt, &c.

DECIMA OCTAVA Regula.

Circumſtantiæ benè conſiderandæ ſunt, vt concionator ſapienter præmeditetur, coram quibus: quid: qualiter: qua audientium opinione: quo loco: quo tempore prædicandum ſit.

DECIMA NONA Regula.

Simplicia themata commodiſsime per quæſtiones methodi pro cõcione tractari et explicari poſſunt. Vt

quid

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

quid ſit, quæ partes vel ſpecies, quæ cauſæ, qui effectus ſeu officia, quæ affinia, coniugata, que crontraria, &c.

EXEMPLVM de fide.

QVid ſit? Fides eſt aſſentiri omni verbo Dei, & promiſsionibus diuinis exhibitis propter Chriſtum.

Quæ ſpecies?) Fides hiſtorica & iuſtificans.

Quæ cauſæ?) Cauſæ efficientes concurrentes, ſunt intellectus, voluntas, & Spiritus ſanctus mouens voluntatem. Intellectus enim non eſt otioſus, Audit & diſcit verbum, Et voluntas mota per Spiritum ſanctum aſſentitur illi verbo.

Cauſam materialem ex qua, non habet, Nam accidentia non habent cauſam materialem ex qua.

Cauſa materialis in qua?) In mente aut corde. Corde enim creditur ad iuſticiam. Item, Fide purificantur corda.

Circa quam?) Eſt verbum Dei & volun-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

voluntas diuina. Fides enim ex auditu, auditus autem per verbum Dei.

Cauſa formalis :) Eſt ille ipſe ſenſibilis motus cordis & voluntatis, & ipſa inflammatio.

Cauſa finalis :) Bonum propoſitum, pax & ſecuritas conſcientiæ. Iuſtificati ex fide pacem habemus, &c. *Rom. 5.*

Officia fidei) Quod per illam inſerimur Chriſto, ac efficimur filij Dei. Quoquot enim receperunt eum, &c.

Contraria fidei : Securitas epicurea, dubitatio, deſperatio.

VIGESIMA REGVLA.

Maiori cum diligentia, prædicanda eſt remiſsio peccatorum quam lex. Quia oues ſunt paſcendæ conſolandæq; magis, ſed tamen ſæpe etiam in terrorem adijcienda eſt breuis quædam legis explicatio.

VIGESIMA PRIMA Regula.

Quicquid ſacra Scripturæ docet etiamſi rationi humanæ abſurdum

videtur,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

videtur, tamen veriſsimũ eſſe ſtatuendum eſt, & adducẽda inſtantia rationi humanæ, quod etiam ſit incredibile, & tamẽ fiat. Ignoramus quomodo oculus videt, auris audit, lingua loquitur, frumentũ creſcit, &c, attamen hæc omnia fiunt. Ita quoq; etiamſi non intelligimus articulũ creationis, ſanctæ Trinitatis, iuſtificationis, reſurrectionis & cætera, tamen veriſsima ſunt quæ de his ſacræ literæ nobis reuelant. Nam Deus non eſſet Deus, ſi non poſſet multa contra ordinem naturæ, & ſupra captum humani ingenij efficere.

Hoc rationis iudicium, quomodo derideat Dei mirabilia & promiſſiones, & pro nihilo habeat, etiam pro concione ſæpiſsime taxandũ eſt.

Quandocunq; (inquit Chryſoſtomus) à domino aliquid publicatur, non debent quæ dicuntur ab auditoribus in quæſtionem & dubitationem curioſam vocari, ſed tantum ſimpliciter ſuſcipi.

VIGESIMA SECVNDA Regula.

Vbi Chriſtus loquitur de regno Cœlo-

Cœlorum non abrogat regnũ mundi & eius leges, ſtatutaq́ꝫ, Sic etiam vbi ſit ſermo de non occidendo, vt in 5. Præcepto, excluſiua de regno Politico eſt adĳcienda.

VIGESIMA TERTIA Regula.

Scriptura in mandatis non vtitur metaphoris, vt fieri ſolet inter narrandũ. Hæc regula vtilis eſt contra eos, qui metaphoras & tropos quærunt in mandatis, vt in illo: Accipite, hoc eſt corpus meum, &c.

VIGESIMA QVARTA Regula.

Quiuis textus referendus eſt ad aliquam partem Catechiſmi, Sic enim auditores iudicare poſſunt, vnde fluat oratio. Nam tota ſacra ſcriptura comprehenſa eſt, in Decalogo, Symbolo, Oratione Dominica, & Sacramentis. Omnia enim quæ docentur, aut ſunt Myſteria iræ Dei, aut gratiæ, (id eſt) Legis aut Euangelĳ: Aut Hyſtoriæ ſunt, aut doctrina morũ, qua ſuadetur vel diſſuadetur.

VIGE-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

VIGESIMA QVINTA Regula.

In Præceptis Decalogi explicandis hæc dictio, *TV*, non ad externam actionem referenda, ſed ad totum hominem quantus quantus eſt, Hoc modo rectè intelligitur ac ſentitur verus ac ſpiritualis vſus legis. Et iuſticiatiorum hipocriſis detegitur ac denudatur. Eſt enim totus homo ſua natura cum omnibus ſuis viribus, peccato originali, horribiliter corruptus, corpore & anima, Intellectus obſcuratus eſt, & caret vera cognitione Dei, Voluntas auerſa eſt à Deo, & conuerſa ad ſeſe, non congruit cum voluntate diuina, Cor eſt cotumax aduerſus Deum, & totam ipſius legem. Hoc eſt quod Mo-
Geneſ. 6. ſes ait. Tota cogitatio humani cordis prona eſt ad malum ab adoleſcentia.
Rom. 8. Item, Paulus: Senſus carnis inimicitia eſt aduerſus Deum. Hæc & ſimilia, proprio vſu legis oſtendantur.

VIGESIMA SEXTA Regula.

Appendix primi præcepti (Non
facies

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

facies tibi ſculptile) nunquam in explicatione eiuſdem præcepti ſomnolenter præteriri debet, Sed ſerio vrgendus eſt contra monſtroſas ſtatuas, earumq́; cultores & patronos.

VIGESIMA SEPTIMA Regula.

Dabit operam doctor Eccleſiaſticus, vt totam ſuam doctrinam ad captum auditorum accommodet, & eligat materiam facilem. Eſt enim plerumq́; in magna multitudine pars maxima, rudis & illiterata, quæ res arduas, intricatas, & perplexas difficulter aſſequi poteſt, Ac etiamſi adſunt aliqui eruditi, atque periti rerum diuinarum, meminerit tamen qui docet, ſe ſeruire multitudini, & conſulere prius debere multis quam paucis.

VIGESIMA OCTAVA Regula.

Sedulo in hoc incumbet Concionator, vt artificioſè, idonea materia, verbis, voce, vultu, & aptis geſtibus, affectus excitet, Id commodiſsimè

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

fiet, quando inter docendum populum, ipſemet affectibus ac motibus ſpiritualibus ardet, & tales animo concipit, atq; in ſeſe ſuſcitat, quales cupit in aliorum mentes transfundi, vt quemadmodum ipſe affectus eſt, alios pariter afficera poſsit, iuxta illud: Si uis alios flere, flendum eſt tibi ipſi. Ita quoq; Chriſtus ipſe (in quo puriſsimi erant affectus) Cordis ſui inflammationem ſæpe verbis & ſignis oſtendit, Lucæ 10. Habetur, quomodo exultauit Spiritu, &c. Item turbatus Spiritu. Matthæi 23. ſuum ardentiſsimum affectum pulcherrima ſimilitudine expreſsit, vbi ait, ſe frequenter voluiſſe congregare incolas Hieroſolimarum, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alis, Item, Fleuit amarè ſuper ciuitatem, &c. Tales affectus innumerabiles, in ſcriptis Propheticis & Apoſtolicis exprimuntur, ſeorſim vero in dictis Paulinis, Propter quod (inquit Acto. 20.) memoria retinentes, quod per triennium, nocte & die non ceſſaui cum lachrymis monere vnumquemq; veſtrum, &c.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

Vt igitur aliorum mentes moueat
atque accendat Concionator, caueat
ne in ſuggeſto ſit frigidus, ſomnolen-
tus, truncus, & tanquam aſinus ad ly-
ram, & ne quid in verbis, in pronun-
ciatione, aut etiam in geſtibus vſur-
pet, quod vel ſui ipſius, vel miniſte-
rĳ contemptum, apud plebem, pare-
re poſsit. Sed manifeſtè declaret, ſe
auidè ex toto corde, & omnibus vi-
ribus, omni tempore anxiè & ſollici-
te quærere in terris gloriam Dei, &
ſuorum auditorum vtilitatem & æ-
ternam ſalutē. Id vt fideliter pręſtet.

Tradat legem & Euangelium 1.
ſyncerè, quemadmodum decet bo-
num diſpenſatorem & cooperarium
Dei.

Conſoletur conſcientias publicè 2.
& priuatim, eaſq; quotidiè muniat &
armet contra Diabolum.

Oſtendat conſcientĳs certam 3.
viam Iuſtificationis, & conſequendæ
æternæ ſalutis.

Adminiſtret ſacramenta à Chri- 4.
ſto inſtituta, eorumq; verum vſum in
Eccleſia tueatur & conſeruet.

Gerat quotidianā ſollicitudinem, 5.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

pro pauperibus, pro omnibus ouibus ſuæ fidei commiſsis: Item viduis & pupillis, educationè iuuentutis, &c.

6. Pugnet vt bonus Chriſti miles fortiter & ſummo ſtudio contra falſas doctrinas, ferat conſtanter quaſuis afflictiones Diaboli & mundi, propter Verbum.

7. In ſumma ſit tantum Epiſcopus attendens ſuo gregi, ſemper erectus ac vigilans orando cõtra Sathanam, qui nunquam dormit, ſed circumit tanquam leo rugiens & quærens quem deuoret.

Hoc modo doctor Eccleſiaſticus piè ac fœliciter ſeruire poteſt Deo & hominibus.

I. *DEO PATRI*, promouendo regnum, gloriam, potentiam, maieſtatem, nomen & cognitionem Dei patris.

II. *FILIO*, Docendo veram fidem, merita, beneficia, vſum & fructum paſsionis Chriſti.

III. *SPIRITVI SANCTO*, Prædicando dona, operationes, virtutes, & verum vſum Baptiſmi & Cœnæ Domini, &c.

Homi-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

Hominibus quocꝫ ſeruiat, anima & corpore.

ANIMA, prædicãdo de vera ag- 1.
nitione peccatorum, Item contritione, & remiſsione peccatorum atque reconciliatione cum Deo, & de vita æterna.

CORPORE, Rectè informan- 2.
do omnes mundi ſtatus, promouendo pacem politicam, malas cauſas conciliando, &c.

Tales paſtores qui bene in verbo præſunt, duplici honore digni ſunt, Et habebunt vitæ ſuſtentationem, defenſionem mirabilem, & in æterna vita gloriam & honorem.

Suſtentationem habituri ſunt, 1.
Iuxta illud, Qui Euangelio ſeruiunt, 1.*Corint*.9.
ex Euangelio viuant, Dignus eſt operarius mercede ſua, Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus, magnum eſt ſi nos carnalia veſtra metamus? Communicet Doctori in omnibus bonis, is qui verbum docetur, Galat.6.

Defenſionem & liberationem 2.
habebunt, iuxta illud. Ego ego ipſe conſolabor te, quis tu vt timeas ab homine mortali? Eſa. 51. Ego ego

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

iudicabo cauſam tuam, vlciſcar vltionem tuam, Iere. 15.

Ego tecum ſum vt ſaluem te, & eruam te dicit Dominus, & liberabo te de manu peſsimorum, & redimam te de manu fortium. Iere. 51.

Item, Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Omnes capilli capitis veſtri numerati ſunt.

3. Gloriam quoq; in æterna vita
Dani. 12. conſequentur, iuxta illud. Qui alios docuerunt, fulgebunt quaſi ſtellæ in ſempiternum. Item, Merces veſtra,
Matth. 5. copioſa erit in cœlis. Item cum apparuerit Princeps paſtorum, percipietis immarceſsibilem gloriæ coronam. His egregijs promiſsionibus pius Paſtor animarum, per totam vitam in officio vocationis ſeſe ſuſtentare ac conſolari poteſt, vt ſuum curſum perficiat, ad gloriam Dei & ſalutem Eccleſiæ.

SVBSE-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

SVBSEQVVNTVR REGVLÆ QVAS MERCE-narij & impij Sacerdotes obſer-uare ſolent, contra ſuam conſcientiam.

SVnt autem Mercenarij, non qui mercedem ſui laboris accipiunt, ſed qui tantum propter mercedem in vinea Domini laborant, & non vt multos Chriſto lucrifaciant.

PRIMA REGVLA.

Parum aut nihil ſtudendum eſt in ſacris literis, nec opus eſt bonos libros comparare, cum domi meæ ſint. Dormi ſecurè, Sermones parati, Poſtilla Guilerini, &c. tametſi mandatum Chriſti eſt. Scrutamini ſcripturas. Item, Cauete vobis à Fermento ſcribarum & Phariſeorum. Item, Pauli ad Timotheum, Attende lectioni, doctrinæ & exhortationi, &c.

SECVNDA REGVLA.

Nolo contentus eſſe vna vel duabus Parochijs, ſed (etiam ſine legiti-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

legitima vocatione, per Symoniam & alias impoſturas) in plures Eccleſias me intrudam, vt audiam illud: Pecunia tua ſit tecum in perditionē, Item, Currebant & non mittebam eos, &c. Item, Quomodo prædicabunt niſi mittantur, &c.

TERTIA REGVLA.

Docebo placentia, neminem reprehendam, ne incurram in odium ruſticorum, vel nobilium iuxta illud: Dic nobis placentia & audiamus te. Non iuxta illud. Exalta uocem tuam ſicut tuba, & reuela populo meo ſcelera eorum. Item, Dic eis & liberaſti animam tuam.

QVARTA REGVLA.

Parcam veritati, etiam in articulo humanæ ſalutis, ac docebo homines conſecuturos ſalutem & vitam æternam propriꝭs, & aliorum, etiam mortuorum meritis & interceſsionibus etiamſi Chriſtus dicat. Ego ſum via, veritas & vita, &c. Nemo venit ad Patrem niſi per me. Item, Non eſt in alio quoquam ſalus. Item, Venite ad me

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

ad me omnes qui laboratis, &c. Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, &c.

QVINTA REGVLA.

Non abſtinebo ab inuocatione ſanctorum, & meos Parochianos ad idem faciendum exhortabor, etiamſi, Vnus eſt mediator Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus. Item, Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum.

SEXTA REGVLA.

Impias ſtatuas & imagines in templis non deſtruam, nec reprehendam, etiamſi ab hominibus ornantur, inuocantur, & honorantur, contra appendicem primi præcepti, Non facies tibi ſculptile, aut vllam ſimilitudinem, &c. Item, confundantur omnes qui ſeruiunt ſculptilibus, &c.

SEPTIMA REGVLA.

Quantum ad ieiunium attinet, docebo abſtinendum eſſe à carnibus ſexta feria, in vigilijs ſanctorum,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

& in quadrageſima, tametſi probè ſcio dictum Chriſti: Quod intrat in os non coinquinat hominem. Item, 1. Timoth. 4. Doctrinæ dœmoniorum ſunt, quæ prohibent abſtinere à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus.

OCTAVA REGVLA.

Legitimam coniugem non ducam, ſed adiungam me concubinæ, & alijs meretricibus. Nihil ad me quod, oportet Epiſcopum eſſe vnius vxoris maritum, caſtum. Item, Erunt duo in carne vna. Fornicatores & adulteros iudicabit Deus, &c.

NONA REGVLA.

Studendum eſt auaritiæ per totam Hebdomadam, & litigandum cum Parochianis, etiam de minutiſſimis pendendis, trare, triturare, & proprium aurigam in oppidis, agris, & ſyluis me agere oportet. Item, Vſuram & mercaturam exercere, iuxta illud: Omnes quærunt quæ ſua ſunt & non quæ Ieſu Chriſti. Nō obſtante, quod Paulus officium meum aliter deſcri-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

deſcribit cum inquit: Non ſit turpis Lucri cupidus, &c.

DECIMA REGVLA.

Sedulo ventris cuticulam curabo, deliciando, diuitias cumulando, potando, &c. Iuxta illud: Quorum Deus venter eſt, &c. Tametſi oportet Epiſcopum eſſe irreprehenſibilem, non vinolentum, &c.

VNDECIMA REGVLA.

Diſſentiendum eſt à veris paſtoribus, in ceremonĳs, & admiſcendæ multæ papiſticæ ceremoniæ. Nihil refert quod audiam: Fruſtra colunt me docentes doctrinas & mandata Hominum. Item, Præcipimus vobis fratres, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ſubtrahatis vos, ab omni fratre, ambulante inordinate, & non ſecundum traditionem, quam accepit à nobis. Item, Vtinam abſcindantur, qui vos perturbant, &c.

DVODECIMA Regula.

Summa cum feſtinatione meum officium qualecunq; in templo abſoluen-

ſoluendum eſt, Interim cogitandum de porcis in campum abigẽdis, Non me mouet, quod ſcriptum eſt: Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter,&c.

Si mercenarĳ has regulas obſeruarint, audiant qualem habituri ſint mercedem.

1. Vę paſtoribus qui paſcunt ſemetipſos.

2. Væ mihi, ſi non euangelizauero.

3. Maledictus qui facit opus domini fraudulenter.

4. Sanguinem illorum de manu tua requiram.

5. Stabit anima tua pro anima illius.

6. Agens & patiens pari pœna punientur.

7. Non ſolũ,qui talia agunt.Rom.1.

8. Omnis arbor, quæ non facit frũctum bonum,&c.

En habes mercedem mercenariorum, Conuertant igitur ſe in primis, vt ex mercenarĳs veri paſtores Eccleſiarum fieri poſsint.

DEPO-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

DE POTESTATE ORDINANDI MINIſtros Eccleſiæ.

NE quis dubitet, an qui in noſtris Eccleſijs ad miniſterium verbi ordinantur, ritè ordinati ſint, etiamſi non ſunt ordinati ad Epiſcopis papiſticis, adducam breuiſsimas, tamen veras & firmas probationes, apud illos non eſſe ius & poteſtatem, ordinandi miniſtros Eccleſiæ, id vt cōmodè fiat neceſſe eſt conſiderare.

Qualis ſit papiſtica Eccleſia, quales Epiſcopi, quales Sacerdotes ab illis ordinati, qualia ipſorum officia, Quomodo ordinabantur, &c.

ECCLESIA PAPISTIca qualis?

Eſt cœtus hominum ambulantium in tenebris, erroribus, & adhærens doctrinis Dœmoniorum, ſine vera fiducia in Chriſtum, & ſine veris cultibus, plœnus multiplicibus idolatrijs, fundamentum Prophetarum & Apoſtolorum corrumpens & oppugnans.

Nun-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

Nunquid talis Eccleſia, quæ eſt hoſtis veræ doctrinæ, & amplectitur doctrinam Sathanæ, habet ius vocandi & ordinandi miniſtros Ieſu Chriſti? Abſit. Non enim magis penes illam eſt hæc poteſtas, quam penes turcicam Eccleſiam, quæ ſimili modo Eccleſiæ Chriſti hoſtiliter aduerſatur. Tempore Chriſti poteſtas concionãdi non ab hoſtibus Chriſti, Anna, Caipha, Scribis & Phariſæis, (cum penes eos non eſſet miniſterium verum) ſed à Chriſto & Apoſtolis petenda fuit. Nam ille cœtus qui aduerſatur Chriſto, non colligit cum eo, ſed diſpergit, Et ideo ab omnibus Chriſti fidelibus, tanquam anathema fugiendus eſt, iuxta illud:
Gallat. 4. Si quis aliud Euangelium docuerit
Iohan. 10. anathema ſit. Item, oues meæ vocem meam audiunt, alienum non audiunt. Item, Nolite trahere iugum cum infidelibus. Vnde concludendum eſt hoc modo.

In ſola Eccleſia Chriſti eſt poteſtas vocandi, approbandi & ordinandi miniſtros Eccleſiæ. Romana Eccleſia (ſicuti nec Turcica & Iudaica) non

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

ca) non eſt vera Eccleſia Chriſti. Ergo hæc non habet ius ordinandi miniſtros Eccleſiæ, ex quo, in ea ſunt corruptelę cœleſtis doctrinę, & omnium diuinarum ordinationum multiplices & variæ.

QVALES EPISCOPI?

Reſpondeo. Qualis Eccleſia, talis Epiſcopus. D. Paulus graphicè eos deſcribit, Philip. 3. Multi (inquit) ambulant quos ſæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimici crucis Chriſti, quorum finis interitus, quorum Deus venter eſt, &c. Propter hunc omnia mala contra Deum agunt, & Sathanam propter regna mundi adorant. Quid quæſo aliud ſunt vel fuerunt romanæ Eccleſię epiſcopi (exceptis paucißimis) quam tetra monſtra & inutilia pondera terræ, contaminata horrendis libidinibus & flagitijs, ſine vera doctrine, ſine agnitione, timore, vel amore Dei, corrumpentes ordinationes diuinas, &c. Et quantũ ad externam dominationem attinet, volunt

ipſis

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

ipſis regibus, opibus & potentia humana pares eſſe, ac vt ſuos honores, potentiam, & diuinitas retineant, non ſeruiunt, ſed dominantur Eccleſiæ, & veram doctrinam ſupprimunt, et mentiuntur ſe eſſe ſucceſſores apoſtolorum, & ſeſe ſolos habere totam iurisdictionem Eccleſiaſticam in vocandis & ordinandis miniſtris Eccleſiæ.

Iudicet nunc quilibet pius vtrum tales ſatrapæ ſint ſucceſſores Petri & Apoſtolorum, & habeant ius vocandi & ordinandi legatos & cooperarios Dei, &c. Certe non magis quam Annas & Caiphas, imo quam Nero, Caligula, Diocletianus, aut ipſe Sathan. De illis & ſimilibus loquitur Chriſtus: Cauete vobis à falſis Prophetis. Item, Paulus 1. Timoth. 4. Spiritus certo prædicit, &c. Tales igitur Epiſcopi, idolatrę, & verbi diuini perſecutores tanquam membra Diaboli, fugiendi ſunt, & apud huiuſmodi, non eſt petendum miniſterium prædicandi uerbi Dei, iuxta illud, Oſeæ 4. Quia tu repuliſti ſcientiam, repellam te, ne Sacerdotio

funga-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

fungaris mihi. Item, fugite idolatras.

S. Matthias cum in locum Iudæ proditoris, eſſet ſubrogandus & ordinandus, non mittebatur ab Apoſtolis ad Annam & Caipham, ſummos pontifices, vt ab illis ordinationem peteret, cum eſſent hoſtes Chriſti, & ab illis ad Chriſtum & apoſtolos Sacerdotium & miniſterium eſſet tranſlatum. Chriſtus ipſe & apoſtoli non acceſſerunt ſummos pontifices, precantes veniam concionandi. Ita hoc tempore ab ĳs tantum petenda eſt ordinatio, qui verbum Dei incorruptum amplectuntur, retinent, & propugnant, & non ab ĳs qui non ſunt membra veræ Eccleſiæ. Concludendum ergo ſic.

Epiſcopi quærentes externam dominationem, & regios honores, corrumpentes vocem Chriſti archipaſtoris, & inimici crucis Chriſti, nam ſunt veri epiſcopi animarum, ſicut fuerunt Paulus, Timotheus, & Titus, &c. Tales ſunt & fuerunt plericꝗ papiſtici epiſcopi. Ergo non fuerunt veri epiſcopi, & per cõſequens non habent ius ordinandi miniſtros Eccleſiæ.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

QVALES SACERDOTES ab illis ordinati?

Reſpondeo. Qualis epiſcopus, talis ſacerdos. Beati rudes, quoniam aſini Dei vocabuntur. Maxima enim pars eorum, ſacrarum literarũ prorſus rudis erat, quemadmodum non ſine dolore & lachrymis, in prima mea prouinciali viſitatione expertus ſum, præſertim apud eos qui in templis cathedralibus olim chorum frequentauerant. Tales idiotæ, ventres pigri, & ocioſi ad gubernacula Eccleſiarum ordinabantur. Vt interim taceam, quod plerięꝫ eorũ ſcortatores & adulteri fuerunt, habentes apud ſe concubinas, ex quibus non paruum lucrum acceſsit epiſcopo pro infamulatione, vt loquuntur.

Epiſcopi igitur ordinantes ad functionem, perſonas prorſus inidoneas & criminibus obnoxias, non ſunt veri epiſcopi, huiuſmodi enim non approbat, Paulus ad Tit. 1. & 1. Timoth. 3.

Tales autem ſunt romanæ eccleſiæ epiſcopi, ergo non ſunt Chriſti

eccleſiæ

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

eccleſiæ epiſcopi. Sunt enim ipſimet (pleraq; ex parte) indoctiſsimi & veræ doctrinæ ignari, magis occupati, equis, canibus, & meretricibus alendis & curādis, quam gregi Chriſti, ſano verbo Dei paſcendo, &c.

QVALIA SVNT ET FVErunt officia ſacerdotum papiſticorum?

Reſpondeo. Minima pars eorum ad ſuggeſtum ordinabatur, ac etiamſi id aliquando fiebat, tamen ſomnia humana & diabolica mendacia proclamabant. Sed finis præcipuus, erat ſacrificare filium Dei in miſſa pro viuis & defunctis, murmurare horas, ſanctos inuocare, eorumq; ſtatuas colere, conſecrare aquam, ignem, ſal, cibum, herbas, &c. Et auocare peccatores à miſericordia Dei gratuita, à meritis & beneficijs Chriſti, ad tales nugas ad ſanctorum & ſua propria merita, quibus docuerunt homines confidere, & quibus euacuauerunt mortem & meritū Chriſti, ſicuti Gal. 2. inquit Paulus: Si per legem eſt iuſtitia, Chriſtus fruſtra mortuus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

eſt. Summa, Papiſtici ſacerdotes, ſui commode & quæſtus cauſa blaſphæmi in Deum, doctrina, vita, & ceremonĳ̃s fuerunt. Itaq; talium vocatio & ordinatio nequaquam à Deo, aut ipſius miniſtris fuit, ſed ab impĳ̃s epiſcopis membris Sathanæ, & hoſtibus Dei, penes quos non fuit, nec eſt ius eligendi & ordinandi miniſtros Eccleſiæ Chriſti.

QVOMODO ORDINAbantur?

Reſpondeo. Longe alio modo, alĳ̃ſq; ceremonĳ̃s, quam tempore apoſtolorum. Negant quemquam ſacerdotem fieri poſſe, ſine raſura, & vnctura papiſtica. Hæc affirmabant ordinandum reddere ſanctiſsimum, etiamſi inſignis eſſet ſcortator, &c. Nunquid hoc modo, ridiculè raſit & vnxit Chriſtus capita ſuorum diſcipulorum, quando eos ad prædicandum emiſit? Nunquid hoc modo vnxit & raſit Paulus, Titum & Timotheum, aut reliqui apoſtoli Matthiam, quando ipſum in locum

Iude

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

Iude ſubrogarunt? Ex quo itaq; papiſtici ſacerdotes Sathanæ miniſtri erant, longe alio modo ordinabantur, quam miniſtri Ieſu Chriſti, quos ipſe ſedens ad dexteram Dei mittit in mundum, non miſſare, ſacrificare, vngere, radere, &c. Sed Euangelizare, & adminiſtrare ſacramenta à ſe inſtituta. Concludendum ergo ſic.

Epiſcopi contemnentes formam ordinandi miniſtros, ab apoſtolis traditam, non ſunt eorum ſucceſſores. Romanæ eccleſiæ epiſcopi nolunt hoc modo ordinare miniſtros Eccleſiæ. Ergo mentiuntur ſe ſolos eſſe veros epiſcopos & apoſtolorum ſucceſſores, Et per conſequens iniuſtè ſibi ſoli arrogant poteſtatem eligendi & ordinandi miniſtros Eccleſiæ. Ex his omnibus prædictis conſtat ius & poteſtatem eligendi miniſtros Eccleſiæ, non magis ad Eccleſiam malignantium, ad impios Epiſcopos pertinere, quam ad Turcas & alios ethnicos. Ideo mentiuntur turpiter, qui negant veros ſacerdotes eſſe poſſe, niſi à romanæ ec-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

cleſiæ epiſcopis approbati, confirmati & ordinati ſint. Item, qui negant ſacramēta eſſe efficacia, niſi ab ĳſdem papiſticis ſacerdotibus fuerint adminiſtrata, cum tamen authoritas conſecrandi, vt vocant, & adminiſtrandi ſacramenta non ſit alligata certis perſonis, locis aut titulis, ſed in cordibus credentium per auditum Euangelĳ & ſacramenta, Spiritus ſanctus eſt efficax, non propter miniſtri aut ſacerdotis perſonā, ſed propter promiſsionem & inſtitutionem diuinā & præſentiam Dei, Itaq; magnum ſacrilegium committunt impĳ epiſcopi cum ſuis ſacerdotibus, quod illam efficaciam in miniſterio Eccleſiæ ad ſe rapiunt, quæ ipſius Dei & Spiritus ſancti eſt.

Eſt enim Eccleſiæ miniſterium, non hominum, ſed Spiritus miniſte-
Rom. 1. rium, & potentia Dei ad ſalutem omni credenti.

Nunc è diuerſo facilè probari poteſt illos, qui in noſtris Eccleſĳs ordinantur, ritè, ordinari, & habere poteſtatem docendi & adminiſtrandi ſacramenta.

QVA-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

VALIS QVÆSO EST EC-
cleſia, in qua nos ſumus?

Eſt eccleſia Ieſu Chriſti, quæ eſt
œtus hominum amplectentium pu-
im verbum Dei, & integra ſacra-
ıenta à Chriſto inſtituta, Et credit
emiſsionem peccatorum per ſolum
hriſtum, habet vnũ Deum patrem,
nam fidem, vnum Baptiſma, & ædi-
cata eſt ſuper fundamentum Pro-
hætarum & Apoſtolorum, in quo
dificio ſummus lapis angularis eſt *Ephe. 2.*
eſus Chriſtus, quæ doctrinam erro-
eam, & impios cultus cum verbo
)ei pugnantes reprehendit & dam-
at. Omnia huius definitionis mem-
ra teſtantur nos viuere in Eccleſia
hriſti, non antichriſti. Ergo apud
os eſt ius & poteſtas eligendi &
rdinandi verbi miniſtros.

VALES SVNT ILLI A
quibus hodie apud nos approban-
tur, & ordinantur mini-
ſtri Eccleſiæ?

Sunt perſonæ legitimè ad Epiſ-
opatum electæ & vocatæ, imo
uidam ad illud acceptandum co-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

acti, amplectuntur puram Euangelĳ doctrinam, eandem in ſua dicœeſi vndiq; proclamant & ſpargunt, illam confitentur viua voce, & martyrio ſi opus fuerit, adminiſtrant Sacramenta quemadmodum Chriſtus ea inſtituit, vtuntur poteſtate clauiũ ex mandato Chriſti, reprehendunt omnes errores & cultus cum verbo Dei pugnantes.

Nonne huiuſmodi ſunt veri Epiſcopi? Nonne apud tales (non apud hoſtes Eccleſiæ) eſt poteſtas ordinandi doctores Eccleſiarum? Si apud tales non eſt verum miniſterium verbi, vbi tunc quæſo eſt in mundo?

AD QVALIA OFFICIA hodie ordinantur?

Certè non vt miniſtri Diaboli ſint (vt Papiſtici ſacerdotes) ſed vt Chriſto ſeruiant, prædicando legem & Euangelium, adminiſtrando ſacramenta, taxando falſos Prophetas, & vt reliqua ſuæ vocationis officia iuxta verbum Dei, præſtent. Ad huiuſmodi grauiſsimos labores, onera, pe-

ra, pericula, moleſtias, hodie vocantur, non ad ocium, delitias, voluptates, &c. Quicunq; (inquit Paulus) Epiſcopatum diſiderat, bonum opus deſiderat. Vt igitur iſtiuſmodi qui pĳ ſunt in moribus, & apti ad Eccleſiam docendam, Deo & hominibus in functione Eccleſiaſtica ſeruiant, rectiſsime à pĳs epiſcopis, Eccleſĳs præficiuntur non obſtante, quod quidam olim fuerint ab impĳs epiſcopis & vncti & raſi.

QVOMODO ORDInantur.

Vocantur & ordinantur hodie in noſtra Eccleſia, iuxta morem veterem & apoſtolicum, (ſine raſura vnctura & alĳs ridiculis papiſticis nugis) qui mos in primitiua Eccleſia ſeruabatur, vt quæ Eccleſia ſibi miniſtros deligeret, eos poſtea collegio presbyterorum probandos ſeu examinandos ſiſteret, Quod collegium in præſentia Eccleſiæ, & Deo inuocato, per manuum impoſitionem, miniſterium docendi, & adminiſtrandi ſacramenta idoneis & ap-

probatis commendabat. Hunc ritum Eccleſiæ videmus in actis apoſtolorum, ab ipſis apoſtolis & aliȷ̈s Chriſti diſcipulis obſeruari. 1. Timoth. 4. ſcribitur. Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per Prophetiam cum impoſitione manuum presbyteri. Item, Manus nemini cito impoſueris. Hic mos hodie in noſtris Eccleſiȷ̈s ſeruatur, Ergo qui apud nos ordinantur rite ordinati ſunt, & poteſtatem habent docendi & adminiſtrandi Sacramenta, & per horum adminiſtrationem Spiritus ſanctus verè efficax eſt in cordibus credentium.

Sceleratè igitur & ſtultè faciunt contemnentes miniſterium eorum, qui in noſtris Eccleſiȷ̈s ordinati ſunt, cum non ſint ordinati ab ȷ̈s epiſcopis, qui approbati & ordinati ſunt â romano idolo antichriſto, filio perditionis, qui indies interficitur Spiritu oris Chriſti, & ipſius aduentus claritate prorſus delebitur: Quod vt cito fiat faxit Deus pater per Ieſum Chriſtum.

AMEN.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

22

HAFNIÆ,

Impreſſit Lauren-
tius Benedicti.

1570.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1245 8°